

ratio; quod in *Digitio* à me dicto, minimè obtinet.

*Noma*, frequens apud nostrates maritimos et scorbuticos morbus, præprimis apud plebeios, et quidem ulcus, quod pessimè fetet, sed sæpiùs consolidatur escharâ, et demùm cute tenuissimâ obducitur, sed sæpiùs recrudescit et redit, imprimis vere et autumnò. Incipit quasi *Erysipelate* partis, et fortè semper ab *Erysipelate* originem ducit; sed qui semel hoc morbo infectus, vix potest obtinere quin recrudescat. Semper sedes ejus in tibiis est. Pes affectus semper crassior altero evadit. Differt à *Phagedænico* seu *Cacoethe*, quòd non ità depascitur integumenta, sed dehiscit variis foraminibus, inæqualibus magnitudine et figurâ.

*Pressura*, quidem multùm affinis *Paronychiæ*; etiàm oritur apud nos frequentissimè hyberno tempore, cùm quis refrigeratis digitis intrat calidam cameram, vel adstat foco, aut digitum calidæ aquæ immittit, sed sedes ejus semper ad radices unguium, ubi cutis circum unguem superiùs intumescit, rubetque dolore pulsatorio; inflammatio suppuratur, vel exulceratur sæpiùs; rariùs antè suppurationem evanescit, sed unguis è radice suâ enasciturus quasi abroditur, et excrescit dein non levis, verùm crassus et quasi corticosus. *Paronychiæ* dolor longè vehementior est, et si non curatur, adgreditur